



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

4. De speciebus iustitiae, pacti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

CAP. IV.

De Speciebus Iustitiæ particularis.

DVæ sunt species Iustitiæ particularis: Vna commutativa, quæ propriè est ad alterum, seu personam distinctam, & interuenit in contractibus, constituitque iustum inter personas distinctas, secundum æqualitatem rei datæ ad rem acceptam. Altera iustitia distributiva, quæ non est omnino ad alterum, sed totius ad partem, & occupatur in distributione communium bonorum, dignitatum, officiorum, &c.

NB. Hæc diuisio non est in species vniuocas, sed analogas, quia distributiva non est propriè ad alterum, nec tam strictè debita.

Iustitia commutativa constituit perfectam, seu arithmeticam æqualitatem, inter quantitatem rei acceptæ & datæ. V. C. Si equum emi 20. flor. æstimatum, totidem dare debeo, si 30. furatus, totidem restituere debeo. Distributiva verò constituit æqualitatem Geometricam seu proportionalem. V. C. sicut se habent 4. ad 2. ita se habent 8. ad 4. sic in distributione communium bonorum (spoliorum) æquitas seu iustitia postulat, vt eadem sit proportio inter bona distribuenda, qualis proportio est intra status siue dignitates personarum, quibus distributio faciendæ est.

Iustitiæ commutatiuæ duplices sunt commutationes, & inde orræ obligationes; aliæ voluntariæ quæ mutuo paciscentium consensu oriuntur; aliæ involuntariæ, quæ oriuntur ex delictis, quibus alteri

alteri

alteri inuito damnum iniustum infertur, furto, de-
tractione, homicidio.

- 3 Iustitia vindicatiua plurimum recedit à veræ Iu-
stitiæ proprietate, eo quod damnum illatum non ad
æqualitatem reddit; siquidem pœna, quæ pro delicto
infligitur; propriè non compensat aut tollit debi-
tum.

C A P. V.

De Iure Dominij & Rerum diuisione.

NB. **I**nter alias iuris acceptiones, vnam esse prole-
gitima facultate aliquid agendi, obtinendi,
disponendi, vtendi, &c. in quo si alterum absque
ista causa impediatur, iniuriam ipsi inferre censetur.

- 1 Ius hoc modo acceptum duplex est; Vnum, Ius
in re; & alterum ius ad rem. Ius in re, tribuit actionem
realem, quæ vocatur rei vindicatio, quale ius habet
Dominus in mancipio, domo, veste.

Ius ad rem dicitur, ex quo descendit obligatio
actio personalis. Vocatur a. actio personalis, quia
proximè tendit in personam nobis obligatam ex
contractu vel delicto. Hæc actio cohæret personæ, in
tantum, vt si mutuo dedisti Titio 100, flor. quos ille
Sempronio donauit: hoc casu actio personalis
contra Titium, nulla autem contra Sempronium
competit.

NB. Actio realis dicitur, quia adhæret rei, cui
insequitur, ad eam vt in cuiuscunque possessionem res
nobis obligata deuenit, ab eodem repositi seu vin-
dicari possit. Hæc actio realis varijs modis compe-
tere potest. 1. Ratione dominij, directi, siue illud
cum vsufructu coniunctum sit siue separatum. 2. Ra-
tione dominij utilis, puta vasallo, Emphyteutæ
com-